I

accipere se omen respondit impleturumque fata ara condita ac dicata.
Ibi tum primum bove eximia capta de grege sacrum herculi ad
hibitis ad ministerium dapemque poticiis ac pinariis, que tum
familie maxime inclite ea loca incolebant factum. Forte
ita evenit ut poticii ad tempus presto essent, hisque exta appone
rent. Pinarii extis adesis ad ceteram venirent dapem. Inde in
stitutum mansit, donec pinarium genus fuit, ne extis sollemni
bus vescerentur. Poticii ab evandro edocti antistites sacri
eius per multas etates fuerunt, donec tradito servis publicis solem
ni familie ministerio, genus potitiorum omne interiit. Poticii / pinarii

Hec tum sacra romulus una ex omnibus peregrina suscepit, iam tum
immortalitatis virtute parta, ad quam eum sua fata ducebant
fautor. Rebus divinis rite perpetratis, vocataque ad concilium multi
tudine, que coalescere in populi unius corpus, nulla re preterquam
legibus poterat, iura dedit. Que ita sancta generi hominum agresti
fore ratus, si se ipse venerabilem insignibus imperii fecisset,
cum cetero habitu se augustiorem, tum maxime lictoribus duodecim
sumptis fecit. Alii ab numero avium, que augurio regnum portende
rant, eum secutum numerum putant. Me haud penitet eorum sententie
esse quibus et apparitores et hoc genus ab etruscis finitimis, unde
sella curulis, unde toga pretexta sumpta est, numerum quoque ipsum vel
sumptum ductum placet, et ita habuisse etruscos, quod ex duodecim
populis communiter creato rege, singulos singuli populi lictores de
derint. Crescebat interim urbs munitionibus alia atque alia
appetendo loca, cum in spem magis future multitudinis quam
ad id quod tum hominum erat, munirent. Deinde ne vana urbis
magnitudo esset, addiciende multitudinis causa, vetere consilio
condentium urbes, qui obscuram atque humilem conciendo ad
se multitudinem, natam e terra sibi prolem ementiebantur, locum
aqs qui nunc septus descendentibus inter duos lucos, in asylum ἀπὸ τὸ α καὶ σύλω
aperit. Eo ex infinitis populis, turba omnis, sine discrimine,
liber an servus esset, avida novarum rerum perfugit. Idque primum ad
acceptam magnitudinem roboris fuit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_873/0019

MANFRED
LAUTENSCHLÄGER
STIFTUNG